



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 128. Conjuratio Hungarorum contra Cæsarem detecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

Sæc. XVII.
A. C. 1701.

§. CXXVIII.

Conjuratio Hungarorum contra Cæsarem detecta.

*Hode Hist. de
Louis XIV.
l. 53. p. 328.
Esprit des
Cours de
l'Europ.*

Iniquissimo prorsus tempore in Hungaria contra Cæsarem, totamque Augustissimam ejus Familiam conjuratio conflata est. Franciscus Ragotsius expugnata arce Mongatsiana aliquamdiu Viennæ liberaliter habitus nullam perversi consilii suspicionem de se præbebat: Tanta etiam apud Imperatricem gratia valebat, ut ejus patrocinio confusus, potissimam suorum bonorum, quæ ob nuperam Patris sui rebellionem fisco fuere addicta, partem sibi restitui peteret: Attamen sub idem ferme tempus (Deo Cæsaris incolumitati invigilante) feliciter in semine adhuc detecta est conjuratio, qua Ragotsius totam masculam Austriacæ Domus stirpem excindere molitus, secretum fœdus cum Themesvariensi Bassa inivit, eumque instigavit, ut quamprimum rebelles in Hungaria arma sumpserint, ipse militum suppetiis præsto esset: Insuper Ragotsius Longuevallium Tribunalum tertio itinere in Franciam ablegavit, eo fine, ut pro conjuratis pecuniarum subsidia a Rege obtineret: Verum hic ipse Tribunalis, aut facinoris im-

immanitate territus, aut suæ salutis metuens, totam conjurationis seriem Cæsari manifestavit, quapropter Ragotsius, Syrmajus & Vajus die vigesima nona Maij per Comitem Solarium capti detinebantur, tempestive autem Peretschinus fuga elapsus est, mox igitur in reliquos Oettinganus Comes Aulici Senatus Præses iudicii acta instruere iussus est. Interim vero Ragotsius ad arcem Neostadiensem captus, abducebatur, ubi tamen Equestris legionis Centurionem nomine Lehmanum, cuius fidei & custodiæ traditus fuerat, auro, amplisque promissis tam dextere sibi demeritus est, ut hic omnem evadendi occasionem, opportunitatemque capto faceret: Præstituta igitur die septima Novembris Ragotsius Urbis Governatorem, & satellitem Præfectos lauto excepit convivio, quo nondum absoluto, corporis necessitatem obtendens, de cænaculo exivit, ac militarem Equitis vestem indutus, conscenso, quem jam ante arcis fores paratum habebat, equo aufugit, famuloque itineris probe conscio stipatus, in Poloniam contendit: Duæ a fuga horæ effluxerant, cum primum Governator, ceterique Ragotsium evasisse comperirent: Insequuntur fugientem satellites; ast incassum omnia, de Ragotsio nil repertum erat,

Y y 4 præ-

Sæc. XVII.
A. C. 1701.

Sæc. XVII. præter tres epistolas in carcere relictas
 A. C. 1701, atque ad Cæsarem, Augustam, & Ro-
 manorum Regem scriptas, quibus præ-
 texta Nationis Hungaricæ oppressione
 fugam suam excusare, & præterita cri-
 mina pluribus diluere nitebatur: ni-
 hilominus per integros quatuor Menses
 discussa ejus caussa, capitis infami ju-
 dicio condemnatus est, cunctisque il-
 lius bonis ærario addictis, decem, qui
 vivum, & sex florenorum millium præ-
 tium ei, qui mortuum Judicibus siste-
 ret, constitutum est: Ejus vero uxor
 & Filius Vienna exire prohibiti sunt,
 ut saltem horum obsidum, pignorum-
 que amore Ragotsius a seditiosis moti-
 bus retentus Cæsaris clementiam im-
 ploraret. Verum hic in Polonia usque
 ad tertium hujus sæculi annum deli-
 quit, quo Hungari, instigantibus, ut
 creditum est, Gallis, aperta seditione,
 sumptisque armis eum vindicare ag-
 grediebantur: interim Lehmanus fugæ
 complex ac promotor Neostadii deten-
 tus, suam perfidiam capitis poena eluit.

§. CXXIX.

*Arelatensis, atque Aquensis Præsu-
 lum controversiæ cum Regu-
 laribus.*

Eodem